



**M**odus procedendi perpetuus hic erit, ut primo *phenomena* oculis exponantur: dein monstratur eorundem *constructio*, & tandem huic subjiciatur *demonstratio* ex certis principiis.

I. *De Corpore.*

I.

**C**orpus in minutissimas partes vel aqua, (a) vel aere, (b) vel igne, (c) vel alia vi externa (d) dividi potest,

(a) Particula *atramenti Indici* tantæ molis, quanta exiguo juglandis cortici implendo sufficit, tingere potest quingenta, vel etiam mille, papyracea folia; & hac ratione exhibere corpuscula decies centena millia millionum. Idem præstant alia pigmenti genera, variæ *tinctora*. Pocula ex *regula antimonii* parata, infusis sæpius liquoribus virtutem emeticam communicant, absque sensibili ponderis imminutione.

(b) Ut videre est in *minera martis Silesiaca* & *Hassiaca*, calce aliisque.

(c) Qui agit vel *immediate*, si accenditur granulum *pulveris pyrii*, quod, observante Snellio, in  
Az par-